



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Vita Hadriani Papae V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

602 HADRIANI PAPÆ V. VITA.

ficem electus est XII. Kalendas Februarii tempore Rudolphi imperatoris anno 1276. Romam ingressus, ibidem sacro diademate apud sanctum Petrum coronatus est. Exinde amator publicæ tranquillitatis ad pacem compонendam omnes cogitationes conuertens plures legationes misit ad Etruscos, iis sub poena excommunicationis iniungens, ut armis contra Pisanos arreptis abstinerent. Michaelem Palæologum imperatorem Orientis fidei in Concilio Lugdunensi datae admonuit. Venetos & Genuenses similiter monuit, ne se deinceps bellis lacerarent. Etrusci & Florentini pontificis mandato paruerunt: qui proinde ab interdicto per pontificem absoluti sunt. Veneti & Genuenses ab inchoatis præliis non destiterunt, ex quibus Innocentius pacis amantissimus eos extricasset, nisi præmatura morte præuentus fuisset: nam post quinque menses & aliquot dies ab electione lapsos defunctus, in basilica Lateranensi sepultus fuit.

VITA  
HADRIANI PAPÆ V.

**H**ADRIANVS V. Genuensis patria, ex illustri Flisco rum familia natus, antea Ottobonus nominatus, Innocentii quarti nepos, a quo sancti Hadriani cardinalis creatus erat, dum ad comprimentam seditionem inter regem & barones Angliae legatum egisset, subrogatus est in locum defuncti Innocentii quinti, IV. Idus Iulii, anno Christi 1276. imperante Rudolpho I. Quia de causa cum ad eum agnati sui gratulaturi accessissent, iis dixisse scribit Massonius: Utinam me cardinalem prospera valetudine, non moribundum pontificem inuenissetis. Viterbum profectus, imperatorem ad retundendam Caroli regis Siciliæ potentem insolentiam in Italiam vocavit. Sed imperator bello contra Bohemos suscepito impeditus pontifici satisfacere non potuit. Carolus vero omne belli robur in Græciam conuertit. Hadrianus inchoato Lateranensi palatio 40. electionis suæ die moritur Viterbiæ, antequam consecrationem consecutus fuisset. In conuentu fratrum Minorum ibidem sepultus est. Ecclesie

IOANNIS PAPÆ XIX. VITA. 603

statum tuiorem & tranquilliores reddere, & Gregorii constitutionem de eligendo pontifice in meliorem formam redigere, ille quidem apud se proposuerat, verum eius conatibus & animi magnitudini mors obstitit.

VITA ET EPISTOLA

IOANNIS PAPÆ XIX.

VVLGO XXI.

ANNO  
CHRISTI  
1276.

IOANNES, huius nominis decimus nonus, antea Petrus Hispanus vocatus, patria Vlyssipponensis, professione medicus, ex episcopo Tusculano ad supremam ecclesiæ dignitatem electus est Viterbii xv. Septembri anno Domini 1276. Palæologum, quem ad Romanæ fidei professionem, prout in Concilio Lugdunensi promiserat, edendam induxit: hunc simul & reges orientales admonuit, ut arma pro defensione fidei suscipieren. In eo laudem singularem meritus est, quod pauperes studiosos facultibus & beneficiis iuuerit: librosque de medica, aliaque de arte logica opuscula composuerit, e quibus, teste Tri-themio in chronico Hirsaugiensi, summula quædam extat, quam Thesaurum pauperum appellant, medicinæ non utilis. Siffridus lib. 2. epitomes suæ scribit de hoc pontifice, quem Ioannem XVIII. perperam nominat, quod dum quemdam librum (ut dicebatur) haereticum & peruersum dictaret, subito domus, in qua sedebat, super eum corruerit, eumque intantum concusserit, ut infra spatum quinque dierum miserabiliter moreretur, replicans saepius hæc verba: Quid fiet de libello meo? Quis complebit libellum meum? Quæ per rumorem accepta, si vera sunt, magnam Dei prouidentiam, qua suam ille gubernat ecclesiam, mirabiliter ostendunt. Idque accidit, cum pontificatum octo mensibus, & aliquot diebus tenuisset.

Concil. Tom. 28.

Gggg ij